

potestatem ordinariam Episcoporum, ideoque est restringenda ad casus certos, juxta regulam 15 Juris in 6, ibi: «Odia restringi, et favores convenit ampliari.»

(30. Potestas dispensandi in supradictis, et aliis consimilibus casibus competens Episcopis, competit etiam Capitulo Sede vacante. Ita communis Doctorum cum Barbosa part. 2 de Offic. et potest. Episcop. allegat. 36. n. 9. Et ratio est, quia Capitulum Sede vacante potest ea omnia exercere, quae pertinent jure communi ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, exceptis nonnullis, quae specialim sunt jure prohibita; cap. *Cum olim*. 14. de majorit. et obedient., ubi Glossa verb. *Capitulum*; cap. *Ad abolendam* 9, de hæreticis, ubi Glossa verb. *Sede vacante*; cap. penul. de supplenda negligentia Prælatorum, ubi Glossa verb. *Sed Capitulum*. Dicta autem potestas dispensandi competit Episcopis ratione Pastoralis officii eorum, estque in illis perpetua, et ordinaria; cap. *His quibus ex officio* 30, juncta Glossa fin. de offic. Judicis Ordinarii, et l. *More*, et l. *Et quia*, ff. de *jurisdict. omn. judic.* adeoque etc.

(31. Qui dispensationem obtinuit super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falso narrata paupertate, dicitur valide dispensatus, et proles legitima; Sacra Congregat. Conc. 9 Septembr. 1679 apud Monacell. tom. 2. tit. 16. formul. 2. n. 33. Vide ibi, qui affert decreta etiam pro dispensatione obtenta ob angustiam loci.

(32. Dispensatus ad ordines super Irregularitate ex aliquo defectu Corporis, v. gr. ex defectu oculi Canonis, vel alio ejusmodi defectu, non indiget nova dispensatione ad Beneficia, etiam Curata, Canonicatus, et Dignitates etiam in Cathedrali. Sic resolvisse Sacram Congregationem Concilii in Lucana Dispensationis 12 Januar. 1697, leg. 47, Decret. f. 19, de Irregularitate ex defectu oculi Canonis, refert Ursaya Institut. Crimin. lib. 1. tit. 10. § 1. num. 9, et Antonell post. tract. de Juribus, et oneribus Clericorum in resolutionibus Sacrae Congregationis Concilii in dicta Lucana Dispensationis 22 Januarii 1697, per totum, ubi n. 2, refert etiam sic resolvisse in Arimen. 16 Maji 1619 et in Nuscana 26 Aprilis 1659. lib. 20. Decret. fol. 624. et sæpius alibi de Irregularitate ex defectu oculi dextri; unde talis sic dispensatus ad ordines sine nova dispensatione admittendus est ad Concursum, ut expresse tradit ex Nicolio Ursaya l. c. n. 10. per allata decreta.

(33. Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam Tonsuram, ad effectum obtinendi Beneficium Ecclesiasticum, ut ex decreto Sac. Congr. in una Pampilonensi die 28 Martii 1733. Bened. XIV. Instit. Eccles. 34. § 5.

Si tamen ordinato jam Sacerdoti accidat, ut oculorum lumen amittat, non tamen ita ut nihil videat, datur illi a Sacra Congregatione facultas celebrandi diebus quidem festis et duplicibus Missam B. Virginis votivam, ferialibus, Defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper Episcopis, ut celebrationem omnino vetent

statim, ac cæcum penitus evasisse compererint; ibidem.

(34. Dispensationes nec frequenter, nec sine juxta causa sunt concedendæ ex Concil. Trident.; Bened. XIV. tom. 1. Constit. 45. incip. *Ad Apostolicæ*, et Constitut. 130. incip. *Libentissime* § 12. (35. Dispensationes ab observantia Ecclesiasticæ Disciplinæ levibus de causis non sunt concedendæ; Idem Constitut. 89. incip. *Inter omnigenas* § 25.

(36. Dispensationem Matrimonialium causæ veraciter sunt exponendæ, et ab Executoribus omnino verificandæ; Idem in citat. Constitut. *Ad Apostolicæ*. (37. Earum executores verificare debent causas in Literis expressas; Idem *ibid.* § 6.

(38. Dispensationes Matrimoniales non sunt concedendæ occultantibus Fidei professionem, cum simulatione Mahumetismi; Idem Constitut. 89. incip. *Inter omnigenas* § 14. (39. Nec iis, qui Matrimonium contrahere intendunt contra formam in Ecclesia statutam; Idem *ibidem*.

(40. Dispensationes Matrimoniales, quænam concedi possint a Penitentiaria Apostolica, assignantur a Benedicto XIV Constitut. 95, incip. *Bonus Pastor*. § 39. et sequent. nempe in Matrimoniis contrahendis in foro conscientie tantum super impedimentis occultis, quæ Matrimonium non dirimunt.

(41. Item super omissione denunciationum etiam ad effectum contrahendi secreto, servata tamen dispositione pro Matrimoniis *Conscientie* nuncupatis; Constitut. ejusdem Pontificis incipien. *Satis Vobis*. (42. Item revalidandi dispensationes Datarie in casu relicte copulæ, et in casu relicte intentionis facilius impetrandi dispensationem, in foro conscientie tantum, et cum compositione taxæ solvendæ Datarie juxta conditionem et facultatem personarum, quando agitur de primo, et secundo, vel secundo tantum gradu. Vide dictam Constitutionem, ubi abunde, et distincte de omnibus.

(43. Neophytis ad Fidem conversis Venetiis in Loco Pio Catechumenorum conceditur dispensatio Matrimonium contrahendi cum Fidelibus, absque interpellatione prioris conjugis in infidelitate relicti, arbitrio Nuncii Apostolici Venetiis existentis. Idem Const. 117. incip. *In Suprema*.

(44. Dispensationes super gradibus prohibitis ad effectum contrahendi cum hæreticis regulariter a Sancta Sede non conceduntur, nisi cum clausula: *abjurata prius hæresi*; Idem tom. 2. Constitut. 51. incipien. *Magna nobis*, et Constitut. 59. incip. *Ad tuas manus*. (45. Dispensationes hujusmodi exsequendæ non sunt, nisi Executori constet de veritate eorum, quæ in precibus exposita fuerunt; Idem in d. Const. 51. incip. *Magna nobis*. (46. Et nisi per authentica documenta constet, quod abjuratio hæresis Matrimonii celebrationem reipsa præcesserit; Idem *ib.* et in dicta Const. 59. incip. *Ad tuas manus*.

(47. Dispensatio seu licentia pro contrahendo Matrimonio cum hæreticis, non adjecta abjurandæ hæresis conditione, non nisi

statim, ac cæcum penitus evasisse compererint; ibidem.

raro, et ut plurimum favore Supremorum Principum, ob publicam et gravem causam, ab Apostolica Sede concessa reperitur; Idem dict. Constitut. *Magna nobis*. (48. Et tunc plures cautelæ præscribi consueverunt, ne Conjux Catholicus perversionis periculum incurrat, neque proles hæretici parentis errores sequatur; Idem *ibidem*. (49. Dispensationum Literæ ab Apostolica Sede concessæ, debent ab Executoribus deputatis attente perpendi, tum quoad earum veritatem, tum quoad conditiones appositas; Idem *ibidem*. (50. Item facultates dispensandi in genere concessæ ne præscripti fines transiliantur; Idem in dicta Constitut. 59. incip. *Ad tuas manus*.

(51. Dispensandi facultas, quæ ab Apostolica Sede datur Episcopis in remotis Regionibus degentibus, non excedit tertium gradum in contrahendis; (52. In contractis vero, si agatur de hæreticis, ad secundum quoque gradum pertingit; Idem in dicta Constitut. incip. *Ad tuas manus*. (53. Hujusmodi facultas in usum deduci nequit cum hæreticis reipsa non conversis, etiamsi conversionis spem, aut permissionem obtendant; Idem *ibidem*. (54. Dispensationes Matrimoniales concedens vigore Indulti, et delegationis *Apostolicæ*, debet delegationis mentionem facere, et Indulti tenorem in dispensatione inserere, cum expressione temporis, ad quod fuit concessum, sub pœna nullitatis; Idem *ibidem*.

(55. Dispensatio super Ætate ad contrahendum Matrimonium quando malitia supplet ætatem, etiam ab ordinario concedi potest; Idem in dicta Const. 41. incip. *Magna nobis*. (56. Et hæc non tam est dispensatio, quam declaratio super casu, cui provisum est in Jure; Idem *ibid.* (57. Quando autem contrahentes rationis usum habent, sed nondum copulæ apti sunt, hujusmodi dispensatio ab Apostolica Sede dumtaxat impetrari potest. Nemo enim præter Papam derogare potest juri Canonico quod requirit in contrahentibus hujusmodi actualem potentiam; Idem *ibid.*

(58. Dispensationes pro Regularibus non conceduntur, nisi de Superiorum Regularium consensu vel ad eorum preces; Idem tom. 2. Constit. 47. incip. *Si datam*.

(59. Dispensationes ab observantia Quadragesimæ concedendæ non sunt, nisi adjecto præcepto de unica comestione, et de non permiscendis epulis; Idem tom. 1. Constitut. 55. incipien. *Cognovimus*, et Constitut. 99. incipien. *Fraternitas*. (60. Dispensatio a Quadragesimali jejuniis nemini concedi debet sine legitima causa; nec Universitatibus absque urgente necessitate; Idem Constitut. 19. incipien. *Non ambigimus* § 3.

(61. Dispensationes generales ab observantia Quadragesimæ pro integris populis concedi nequeunt absque gravi causa; Idem tom. 1. Const. 130. incip. *Libentissime* § 10. et seq. (62. Causæ legitimæ ad concedendam talem universalem dispensationem possunt esse morbi communes ob aliquam aeris corruptionem, seu morbus epidemicus. (63.

Et si in aliquo loco, neque oleum, neque pisces comparari possint tunc incolis ejusdem loci concedi potest ut lacte et ovibus utantur; Si autem hæc revera deficient, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedetur, interposita semper jejunii servandi conditione. Idem *ibidem*, § 17 et sequentibus. (64. Et tunc ad id Medicorum sententiæ sunt exquirendæ, et eorum attestations exhibendæ. Alias dispensatio denegabitur; Idem *ibid.* § 24. 25 et 27. (65. Non sunt tamen causæ legitimæ pro tali universali dispensatione ciborum caritas, et militum stationes; Idem *ibid.* § 18 et 19.

(66. Dispensationes generales super observantia Quadragesimæ, aliarumque abstinentiæ pro communitatibus Patriarchatus Antiocheni, quomodo sint concedendæ, assignatur ab eodem Pontifice, nempe ut in singulos tantum annos, quibus egestatem et inopiam ciborum Quadragesimalium persistere ibi cognoverit, et non aliter, nec alio modo, nisi ut illæsa remanente etiam quoad illos incolas generali lege de jejuniis, et abstinentiis, a qua nemini liceat dispensationem in genere concedere, possit singulis illis communitatibus dictam dispensationem concedere; Idem tom. 1. Const. 87. incip. *Demandatum*, § 7.

(67. Dispensationes super Ritibus Ecclesiasticis a Sancta Sede petendæ sunt, nec ea inconsulta, ab alio quolibet concedi possunt; Idem tom. 1. Const. 107. incip. *Omnium sollicitudinum*, § 14. (68. Dispensationes adversus Ritus et Canones Ecclesiæ Græcæ concedi non possunt a Missionariis Latinis; Idem Constit. 87. incip. *Demandatum* § 16.

(69. Dispensationes Sacrae penitentiariæ cum diriguntur ad Confessarium ex approbatis ab Ordinario, executioni mandari debent a Confessario approbato ab Ordinario illius loci in quo dispensatio illa præstari debet; nec valet, si actu Confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, et dispensatio petatur a Fœmina; Bened. XIV. Instit. Eccles. 87, § 31.

(70. Cum diriguntur Confessario Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, requiritur laurea Theologiæ, vel juris Canonici in publica Universitate; nec aperiri literæ illæ possunt a simplici Regulari Confessario, nisi tamen Religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit; *ibid.* § 32.

(71. Si semel apertum fuerit Breve Penitentiarii, ab eo, qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitiatur rescriptum, sed sufficit, si alteri habenti requisita consignetur, *ib.* § 33.

(72. Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus ex probabili sententia variari, quamquam non desint Doctores qui oppositum opinentur; *ibidem*.

(73. Executor certiorum se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi aliunde ipse eandem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub juramento



interrogare, ut est communis Doctorum sententia, ibi § 34.

(74. Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez, ibidem.

(75. In ejusmodi dispensationis literis mandatur executori, ut dispense, audita prius Sacramentali confessione, et in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent; ibid. § 33.

(76. Cum poenitentia in literis definitur, ea injungenda est; si vero committatur arbitrio Confessarii, non est illi liberum eam ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit; ibidem § 37, 38.

(77. Quoad clausulam: *dummodo sit occultum*, censetur occultum, si tantum septem, vel octo in Civitate id resciant: in oppidis vero, si quinque vel sex; quam sententiam Scriptores, qui mentem sacræ Poenitentiarie probe norunt, tenent; ibid. § 43. Occultum impedimentum Fagnanus censet illud quod nullo pacto probari possit; ibid. § 44.

(78. Si impedimentum occultum fuerit in loco, ubi executioni mandanda est dispensatio; publicum vero in alio, ubi commissum est delictum, tutius tunc est executionem suspendere, et de hac novitate Sacram Poenitentiarum certiores facere; ibid. § 46.

(79. Delictum olim publicum, nunc occultum, si a die commissi criminis longum tempus effluerit, ad effectum dispensationis obtinendæ, censetur ibid. § 42.

(80. Si quis rem vitatam præstiterit, sed publice creditur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad effectum dispensationis obtinendæ creditur occultum. Si vero commississe delictum rescitur, sed ignoretur inde consurgere impedimentum, profecto occultum quoad hunc effectum non censetur; ibid. § 48.

(81. Si delictum deductum sit ad forum contentiosum, a S. Poenitentiarum censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus, etc., adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum; ibi § 49.

(82. Alia ad rem. vide verb. BIGAMIA, verb. JEJUNIUM, verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, srt. 3, verb. IRREGULARITAS, art. 3, verb. JURAMENTUM, verb. SIMONIA, verb. VOTUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(83. Loco *juris communis* dici debere *juris humani*, vel *positivi* in definitione dispensationis monet Soll. de leg. cap. 4, § 1, n. 170.

(84. « Quia, inquit, etiam in Municipali, et Synodali jure, quod distinguitur a communi, c. 1, de Const. in 6, dispensatur. »

(85. Quod ait Auctor num. 7 de tacita dispensatione sublata a Regula 51 Cancellariæ, id intellige respectu Summi Pontificis, ut inquit idem Auctor ibidem, et advertit Rigant. in commentar. ad dict. Regul. 51.

num. 8. (86. Cæterum alii post Pontificem possunt adhuc tacite dispensare. Solumque quæstio est, utrum tacite dispensare valeant super propriis constitutionibus, an item super legibus Superioris in casibus, in quibus concessum ipsis est dispensare. (87. At communior est opinio, posse tacite dispensare etiam super legibus Superioris; Confer Soll. de Leg. cap. 4, § 1, n. 178.

(88. Tacita vero dispensatio secundum Rigant. in commentar. ad dict. Regul. 51. num. 15 et sequent., tunc locum habet, quum quinque hæc concurrunt. Primum est, quod qui gratiam inhabili, seu incapaci facit, sciat factum, et ex illo juris dispositionem. Secundum, quod pariter sciat, quod in illo facto opus sit dispensatione. Tertium, quod ex certa scientia affirmativum factum faciat, illudque exprimat. Quartum, quod de causa, qua ad tacita dispensandum movetur, cognoscat. Quintum denique, quod ex dispensatione illa tertio præjudicium non irrogetur.

(89. At præsertim quartum requisitum necessarium haud esse, tenet Soll. de Leg. cap. 4, § 1. num. 178, qui sequent. num. 179, aliter explicat, quando censeatur facta tacita dispensatio.

(90. De potestate Summo Pontifici competente dispensandi super legibus omnibus positivis non est quod disseratur, quum ea promanet ab ea superioritate, quam obtinet super omnes, et firmatur in cap. 4. de Conces. Præbend. (91. Quod vero attinet ad Episcopos, ii utique possunt dispensare non solum super propriis Constitutionibus, verum et super legibus Synodi Diocesanæ. Duo vero excipiuntur casus. (92. Prior est, si Constitutio a Summo Pontifice confirmata fuit *in forma*, ut aiunt, non *communi*, sed *specifica*. (93. Alter est, si Constitutio abierit in contractum; (94. Confer Soll. de Leg. cap. 4, § 2, num. 184 et sequent.

(95. At quod attinet ad priorem casum, tunc secundum alios confirmatio *in forma specifica* impedimento esse potest, quominus Episcopus dispense, quum Constitutio excedit potestatem ipsius Episcopi, ita ut totum faciat auctoritas pontificia, non item quum adhibita ea fuit ad abundantiorum cautelam.

(96. Super legibus vero superioris Episcopus regulariter nequit dispensare. (97. Quocirca non est in potestate Episcopi dispensare non solum super jure Pontificio, sed nec super Synodo Provinciali. (98. Quinimo nec Archiepiscopus dispensare valet super Synodo Provinciali, quum ab ipso tamquam inferiori ad Provinciale Synodum appelletur; Soll. de Leg. cap. 4, § 2, n. 189. (99. Quando vero Episcopus dispensare queat super legibus superioris, vide apud eundem Auctorem de LL. c. 4, § 2, a n. 19 ad plur. sequent., ubi examinatur, (100. An in casibus in quibus inferior pollet potestate dispensandi, secum ipse dispensare valeat, (101. tum an dispensare valeat cum vagis, et peregrinis.

(102. De justis causis dispensationis consule Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica, verbo *Dispensatio*, sect. 1, n. 4 et sequent. An autem cesset dispen-

satio, si causa, ob quam fuit concessa, cesset itidem ante executionem illius, non conveniunt inter se Doctores. (103. Negant Suarez de LL. lib. 6, cap. 19, n. 18. Gutierrez Qu. Canonic. lib. 2, cap. 13, n. 30. Affirmat vero, et quidem allegatis pro se Glossa, Joanne Andrea, Baldo, Felino, et aliis, Sanchez de Matrimon. lib. 8, disp. 30, n. 14.

(104. An et quando potius datum mandatum de dispensando, quam gratia dispensationis concessa a Papa sit, et quinam sint effectus diversi, expendit Rot. in Ugentina Beneficii, 5 Maii 1738. cor. Eminentissimo Crescentio.

(105. Nota demum, dispensationem esse stricti juris, nec ullam pati extensionem. Vide exempla in Hildesimen. Fructuum Canonialium super bono jure 17 Junii 1731. cor. Eminentiss. Crescentio.

(106. An secunda dispensatio obtenta, non expressa prima dispensatione circa eandem rem, indistincte sit subreptitia, non convenit inter Doctores. Videsis Soll. de Legib. part. 1, cap. 4, § 4, n. 277.

(107. At concordet in hoc sunt Auctores, quod si prima dispensatio est *cum moderatione aliqua* obtenta, secunda vero dispensatio circa eandem rem obtenta est *absolute sine moderatione illa*, ex reticentia primæ

DISPENSATIO IN BIGAMIA.

Vide verb. BIGAMIA.

DISPENSATIO IN FESTORUM OBSERVANTIA.

Vide verb. FESTUM.

DISPENSATIO IN JEJUNIO.

Vide verb. JEJUNIUM.

DISPENSATIO IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 3.

DISPENSATIO AB IRREGULARITATE.

Vide verb. IRREGULARITAS, art. 3.

DISPENSATIO IN JURAMENTIS ET VOTIS.

Vide verb. JURAMENTUM et VOTUM.

DISPENSATIO IN POENIS SIMONIÆ.

Vide verb. SIMONIA.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

ARTICULUS I. - *Quid, et quæ sint Distributiones quotidianæ, et a quibus acquirantur?*

1. Distributiones quotidianæ ita dicuntur, quia juxta cujusque merita, ac laborem, et qualitatem distribuuntur. — 2. Distributiones quare dicantur quotidianæ. — 3. Distributiones quotidianæ aliæ sunt, quæ non distinguuntur a Præbendis, et aliæ, quæ distinguuntur, et quæ sint utraque, ad n. 4. — 5. Distributionum quotidianarum propria definitio. — 6. Distributiones hujusmodi non veniunt in appellatione fructuum, seu reddituum, et proventuum. — 7. Distributiones non comprehenduntur in regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo. — 8. Distributiones quotidianæ institutæ sunt in gratiam cultus divini. — 9. Jus percipiendi Distributiones quotidianas competit Cathedralium et collegiarum

excusari a vitio subreptionis nequeat secunda dispensatio, idque ex ea potissimum ratione, quod Summus Pontifex certior factus de prima dispensatione *limitata*, secundam dispensationem *sine illa limitatione* vel non concessisset, vel difficilius concessisset, quorum alterum sufficit ad subreptionem, ut firmant Sanch. de Matrimon. lib. 8, cap. 22, n. 6. Soll. de Legib. part. 1, cap. 4, § 4, n. 278, et novissime Collett. de Dispensation. lib. 1, cap. 5, § 6. Rota, Divers. Dec. 91. part. 3. lib. 3.

(108. Actum vero novissime de hoc articulo fuit in Rota in Neocastren. Pensionis 3, Aprilis 1762, cor. R. P. D. Frangipan. At Tribunal hoc excusavit a subreptione secundam dispensationem illimitatam obtentam cum reticentia primæ dispensationis limitatæ « quidquid sit (Aiendo) in materia beneficii, in qua sancitum habetur, quod necessaria sit expressio Beneficii, quod antea quis obtinuerit in postulatione et assecutione secundi, absolutissimum tamen est, quod in cæteris gratiis et concessionibus nullibi cautum reperitur, quod mentio primæ haberi debeat in concessionem secundæ gratiæ, sed hæc absque mentione prioris validissima semper reputatur. » Sed mox dicta *Decisio* est sub *revisione*.

Ecclesiarum Canonicis divinis officiis interessentibus. — 10. Distributiones debentur his tantum qui vere intersunt divinis Officiis, non vero his qui fide resident, aut juris fictione. — 11. Unde non sufficit interessentia in Ecclesia, sed requiritur actualis interessentia in Choro. — 12. Distributiones quotidianas lucratur in absentia Can. infirmus. — 13. Sic Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui ad Ecclesiam se conferre non potest, quia est debilis in cruribus, vel tibiis. — 14. Vel quia podagra laborat. — 15. Vel quia est cæcus, et propterea Missas celebrare, et divina officia recitare non potest. — 16. Vel quia medicinam sumit, aut sanguine minuitur. — 17. Vel quia lepra, aut alio morbo contagioso cogitur ab Urbe discedere. — 18. Vel quia sanitatis causa ad balnea, vel ad alium locum iret. — 19. Sic etiam lucratur senio confecti, si alias residere soliti erant. — 20. Similibus infirmitatibus de-